

Quod *Candollius* l. c. pedunculos petiolo breviores tribuat plantae suaे, minus offendet, si consideraveris, *Lavaterae Creticae* pedunculos multo, breviores petiolo ab eodem auctore tribui; scilicet inferiores pedunculi petiolum vel attingere longitudine, vel etiam eo esse breviores, non semel observavimus, superiores autem non solum petiolo sed ipsis etiam foliis floralibus saepe longiores. Proceriores itaque pedicellos floribus *Lavaterae silvestris*, quam *Creticae Lavaterae* floribus esse, in universum statuens, simulque ad *Lavateram ambiguam*, e pedicellis folio (nec vero petiolo) longioribus distinguendam, respiciens, inferiorum magis quam superiorum peduncularum longitudinem descriptisse videtur Auctor iste celeberrimus. Liceat autem de *Lavatera ambigua*, num diversa sit a *silvestri*, an eius varietas? movere dubia.

**Cultura.** Cum secundo anno floreat haec planta pereatque maturo semine, vel si ulterius etiam vitam perduxerit, aegrotet tamen neque amplius ad pristinum decus resurgat, quotannis novam sementem ut facias, necesse est. Solo quocunque fertiliori crescit, dum ne sit indolis nimis spissae. Perit hie-mali frigore eoque vel levissimo necatur; quam ob rem testis imponenda est et in frigidario, cum frigus increscat, conservanda. S.

#### Explicatio Tabulae VI.

- a. Planta magnitudine naturali.
- b. Flos, ad verticem dissectus, naturali magnitudine.
- c. Calix cum fructu immaturo magnitudine naturali.

#### A D D E N D A.

Pag. 5. lin. 8. inf. adde inter synonyma *Lecanocarpi caulinflori*: *Acroglochin chenopodioides* Schult. Mant. S. Veg. I. p. 68. et 227.

Cum tabulam nostram, ante annum et quod excurrit impressam, immutari fas non esset, *Lecanocarpi* nomen, quod ipsi olim plantae imposueramus, in textu conservavimus, tametsi animus non sit, extrudere isto consilio nomen *Acroglochin Schraderianum*.